

pagis et villis extra civitates coeperunt institui Presbyteri vel collegia Presbyterorum, et super presbyteros Chorepiscopi quoque qui per se simplices sacerdotes secundi ordinis erant, quibus cura ovium ordinaria sub Episcopo civitatis demandaretur. At intra fines civitatum non nisi post annum 1000 Parochiae constitutae sunt, omnia Episcopo cum suo Presbyterio, seu canonicorum collegio administrante; ita ut aetate quoque Tridentini quaedam civitates adhuc Parochis carerent (sess. XIV. c. 13 de Reform.). Haec late demonstrata sunt a Mario Lupi in opere *de Paroeciis ante annum 1000* et ab Aloisio Nardi in copioso opere *de Parochis*; quos consulere oportet. Errant proinde quicumque in veteribus monumentis presbyterorum nomine (nisi specialis ex contextu declaratio addatur) designari parochos censent. Falsum idcirco est et ab universa traditione alienum Parochos qua tales certum hierarchiae gradum constituere, multoque magis falsum est eos certum hierarchiae gradum constituere quae est iuris divini. Nam parochi qua tales non exiguntur iure divino in Ecclesia, ut ostensum est; hierarchia vero quae iuris divini est, exigitur eodem iure in Ecclesia. Ceterum hierarchia vel spectatur ratione ordinis vel ratione iurisdictionis. Si ratione ordinis, parochi pares sunt ceteris presbyteris: si ratione iurisdictionis, vel consideras iurisdictionem in foro externo, vel in foro interno: si in foro externo, talem iurisdictionem parochi nullam habent; neque enim valent ferre leges, iudicia instituire, poenas infligere: si in foro interno, ea est quam quilibet presbyter habere potest ab Episcopo et frequenter habet, totumque discrimen est quod eam parochus ex institutione Ecclesiae habet adnexam suo officio, presbyter simplex habet delegatam. Id vero non sufficit ut novus hierarchiae gradus constituatur; nam hierarchiae gradus per specialem potestatem constituuntur; haec vero non habetur nisi specialis quidam modus obtinendi eam potestatem quae aliis quoque communis est.

Turpiter proinde erravit Gerson affirmans (in opusculo de statutis ecclesiasticis) « Statum curatorum esse de institutione Christi et Apostolorum suorum a principio foundationis Ecclesiae, statumque curatorum esse de essentiali ac intrinseca Ecclesiae hierarchia, sicut est status Praelatorum » et (in sermone contra Bullam *Regnans* Alexandri V) « dominos curatos esse in Ecclesia minores praelatos ac hierarchicos hoc est principales ac dominantes per primam institutionem Christi, atque hunc statum a Papa destrui non posse. » Hunc errorem Gerson Sorbonae legavit, isque suos fructus tulit in Synodo Basileensi ac in Pistoriensi. Quia vero *Pastoris* appellatio usu biblico et ecclesiastico eum designat qui iurisdictionem habet in foro externo, cunctisque seculis ab Apostolica aetate ad ultima

tempora usurpata est ad Episcopos designandos, liquet haud iure vindicare sibi parochos appellationem pastorum absque ullo addito.

Ex his patet evidentius ratio iam superius indicata cur Episcopi ratione quoque iurisdictionis sint iure divino presbyteris superiores.

§. XVIII.

*Ratione habita finis Ecclesiae et originis potestatis qua Ecclesia regitur, liquet Ecclesiam esse societatem perfectam, et a civili prorsus independentem.*

I. Id negant nostra aetate omnes Ecclesiae hostes, atque huc athea civilium societatum gubernia spectant ut Ecclesiam, quam eradicare nequeunt, in vincula coniiciant. Hanc doctrinam, quam omnes catholici defendimus, lacesivit hisce diebus insulsissimo opusculo (*Revolution und Kirche*), ut originem suae missionis patefaceret, Dr. Iosephus Humbertus Reinkens (cf. *Periodicum Germanicum Katholik* 1876. II.3. Heft.) personatus episcopus veterum catholicorum, in quibus nihil est vetustatis praeter id quod Paulus appellat veterem hominem. Haeresis adversa arrisit plus minus somper regibus et imperatoribus qui finem suae auctoritatis ignorantes eamque amplificare studentes non patiebantur aliam esse in terris potestatem a se independentem. Errores huiusmodi proscrispsit Pius IX in Syllabo prop. 39, seqq.

II. Ea est perfecta societas quae neque est pars alterius societatis, neque alteri societati subordinatur; si enim huiusmodi est, oportet ut ipsa sibi sufficiens sit, h. e. potestas qua regitur sufficiens sit ad consecutionem finis: quo fit ut societas integra sit et in se tota, h. e. perfecta. Iam vero pars alicuius societatis sive collegium in societate nequit esse nisi is coetus cuius finis fini societatis subordinatur, sive ab eadem potestatem obtineat se constituendi sive haec potestas sit a natura: ratio est quia finis partis debet subordinari fini totius; ex quo fit ut potestas socialis ius habeat regendi collegia quae partes sunt societatis. Atqui finis Ecclesiae est excellentior fine cuiusvis alterius societatis a se distinctae. Distinctae enim ab ea non sunt nisi societates civiles: nam si quae sunt aliae societates quae dicantur religiosae, eae nisi sint membra huius nullum ius existendi habent. Iam vero finis intentus a societate civili est bonum aliquod temporale, scilicet explicatio earum virium singulorum et custodia eorum iurium singulorum quae a natura insunt ac ad vitam temporalem referuntur: quae duo si obtineant, felicitas quaedam temporalis existit. Huc sane spectant leges civiles, quae non id directe intendunt ut faciant homines simpliciter honestos et sic idoneos ad consecutionem finis sui supremi, sed ut faciant bonos

cives, bonos scilicet homines in convictu sociali in hac vita. Verum quidem est quod in ordine purae naturae, si existeret, officium Principis esset quoque legibus suis id curare ut homines boni essent et religiosi erga Deum; sed id ex eo oriretur quod in illo ordine Princeps civilis esset quoque summus sacerdos et legislator in ordine religioso, quae sunt duae formalitates distinctae quamvis in eodem subiecto (etsi nec opus fuisset in illo ordine idem esse subiectum utriusque potestatis), atque ita distinctae, ut potestati religiosae utpote respicienti nobiliorem finem fuisset subordinata potestas civilis. At in praesenti providentiae ordine cura religionis integra demandata est a Deo aliis quam Principibus, qui curare quidem debent ut leges latae a potestate religiosa serventur a suis subditis (de qua re loquimur in Th. XXI seqq.), sed nullum ius habent ferendi leges religiosas. Idcirco habita ratione societatis et potestatis civilis qua talis, ea ordinatur per se in bonum temporale. Finis proinde societatum civilium est aliquid naturale. Alius vero plane est finis Ecclesiae quae est societas supernaturalis. Est scilicet finis supremus hominis obtinendus in altera vita, ad quem immediate et per se ipsa ducit; cui fini supernaturali ceteri naturales fines, et fines ceterarum societatum politicarum subordinantur. Nec alia societas supernaturalis in terris supponenda est; nam una est Ecclesia universalis, sicut unus est finis.

Pariter societas alteri subordinata auctoritatem qua regitur accipit a subordinante; at fieri nequit ut Ecclesia auctoritatem qua regitur accipiat in terris ab alia societate; quia aliae societates naturales sunt, et aliquam tantum potestatem ordini naturae consentaneam conferre possunt: potestas autem Ecclesiae est supernaturalis. Neque societas alteri ratione auctoritatis subordinata potest in excellentiorem finem esse ordinata, cuiusmodi est Ecclesia prae societatibus civilibus.

Ergo Ecclesia est societas integra et in se tota, ideoque sufficiens sibi, quod est esse societatem perfectam.

III. Sane tenendum est Ecclesiam esse societatem prorsus independentem a societate civili: quod quidem certum esse debet si auctoritas qua regitur Ecclesia sit omnino independens ab auctoritate civili, quam praerogativam ecclesiasticae potestatis, quae hodie tam insipienter ab eius osoribus negatur, volumus evidentius quoque, si opus est, demonstrare. Quaestio profecto huc redit: an potestas ecclesiastica sit independens a potestate civili; quoad hoc enim ita se habent societates sicut se habent earum potestates quibus constituuntur.

Iam vero sicut duplex esse potest dependentia unius potestatis ab alia, ita et duplex independentia. Dependentia alia directa est

alia indirecta. *Directa* est cum aliqua potestas alteri subest *ratione sui* prout nempe est talis potestas; unde fit ut potestas superior regat omnes actus potestatis inferioris in ordine ad ipsum finem huius inferioris potestatis, quia idem finis a superiore potestate licet universaliter intenditur. Ita potestas gubernatoris provinciae subest potestati regis. *Indirecta* est cum una potestas *ratione alterius rei* alteri potestati subest, seu ab ea dirigi potest, puta ratione finis nobilioris qui intenditur ab aliqua potestate, et cui adversari nequit potestas alia, sed ei potius tamquam medium subordinatur. Ita potestas paterna subest potestati iurisdictionis socialis. Hinc intelligitur quatenam sit independentia directa, quatenam etiam indirecta.

Rursus advertendum quod cum comparantur potestates, potest fieri comparatio *formalis* vel *materialis*. Formalis est cum comparantur potestates per se, seu, quod in idem redit, cum comparantur subiecta earum *quatenus instructa sunt ea potestate, eamque exercent*: materialis est cum *subiecta* comparantur sed sub alia ratione.

Modo defendimus potestatem Ecclesiae esse a potestate civili prorsus independentem, nedum directe, sed et indirecte. Argumenta quae primum afferemus, probabunt certe independentiam directam: subdemus deinceps et id quo evidens fiat quoque independentia indirecta.

IV. Itaque verba Christi sunt ad Apostolos: *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis*. Porro in his verbis potestas Ecclesiae, quae amplissima est, exhibetur per se independens a quavis potestate humana, ideoque et a civili. Nam cum ipsa ligat, ligat Deus, cum ipsa solvit, solvit Deus: nexus est immediatus, ut patet, et necessarius, fieri nempe nequit ut aliquid liget aut solvat Ecclesia quod non liget et solvat pariter Deus; nam *quodcumque* ligaveris, *quodcumque* solveris dicitur; nihil excipitur. Quae quidem divina rati-habitio exercitae ab Ecclesia potestatis ligandi et solvendi non est rati-habitio seu probatio actus prout est in genere moris, sed prout est actus auctoritatis. Deus enim ipse *ligat et solvit* cum ligat et solvit Ecclesia. Iam vero 1) haec propositio Christi universalis falsa esset, si potestas Ecclesiae penderet a potestate civili; tunc enim ligante aut solvente Ecclesia h. e. leges ferente aut abrogante, iudicante, puniente, posset potestas civilis irritum facere quod decernit Ecclesia, quae irritatio legitima et valida foret; ea autem irritatione existente Deus qui illam probaret, non haberet ratum actum Ecclesiae seu non ligaret aut solveret in caelis quod Ecclesia ligat aut solvit in terris: ergo. 2) Nulla potestas humana potest ligare quod solvit Deus, neque solvere quod ligat Deus: ergo neque potest ligare quod solvit

Ecclesia aut solvere quod ligat Ecclesia. P. C. cum enim Deus liget et solvat quidquid ligat et solvit Ecclesia, si quis ligaret quod ea solvit, eo ipso ligaret quod solvit Deus; et si solveret quod ea ligat, solveret quod ligat Deus; ergo. Igitur potestas Ecclesiae est independens a potestate civili.

Id quoque ex scopo ecclesiasticae potestatis manifestum est. Et enim potestas Ecclesiae est principium efficiens unitatis totius Ecclesiae catholicae; huc enim spectat auctoritas in societate: atqui haec nequit esse obnoxia potestati civili; ergo. P. m. Potestas civilis multiplex est in mundo, prout sunt diversa regna et imperia; si autem potestas Ecclesiae esset subiecta potestati civili, ea alio et alio modo se gerere deberet in diversis regnis iuxta placitum regum, fierique posset ut nulla eius lex, nulla directio esset communis pro universa Ecclesia; atqui potestas quae est principium efficiens societatis exigit ut ea communibus legibus et statutis regere possit universam societatem: ergo. Imo si potestas Ecclesiae esset subiecta potestati civili, potestas suprema pro Ecclesia esset in singulis regnis potestas civilis, cui subesset auctoritas Ecclesiae; adeoque tot essent potestates supremae in Ecclesia quot reges, h. e. tot essent Ecclesiae quot regna; nempe non esset amplius Ecclesia una. Ergo.

Et re quidem vera auctoritas Ecclesiae vel pendet a potestate civili prout haec est talis, vel prout existit in subiecto christiano. Atqui character christianus nullam auctoritatem confert principi in Ecclesiam sed imo illum huic tamquam agnum non secus ac alios subiicit. Si vero potestati civili prout talis est subest auctoritas Ecclesiae, poterit quoque princeps paganus, hebraeus, haereticus, excommunicatus se immiscere negotiis Ecclesiae, eaque regere; quod est absurdum: absurdum est enim Christum ovile suum commendasse lupis: ergo. Cf. propos. 44. Syllabi.

V. Itaque potestas Ecclesiae non pendet directe a potestate civili. Sed neque indirecte. Indirecta enim subiectio unius potestatis ad aliam tunc solum habere potest locum cum finis unius potestatis subordinatur fini alterius; in qua hypothesi ut consulatur fini potestatis superioris, potestas inferior cogi potest ut tanquam medium inserviat superiori. Atqui finis potestatis Ecclesiae non subordinatur fini potestatis civilis: ergo. Minor evidens est. Maior patet quia natura et vis potestatis socialis pendet a fine ad quem actibus suis ordinat societatem: ideoque potestates ad invicem se habent sicut fines earum. Cf. quae dicemus in Th. cit. seq. Tract.

VI. Obiici quidem solet potestas exercita ab imperatoribus christianis primis Ecclesiae seculis in ipsis ecclesiasticis negotiis, cui Romanus quoque Pontifex videbatur subiectus; ita ut ad eos a iu-

diciis Episcoporum provocaretur, ipsi Episcopos, et inter hos Romanum quoque, ut Constantinus fecit, ad iudicandum destinarent, Synodos convocarent etiam universales, ad quas Romanus Episcopus vocabatur, et huiusmodi: ergo. At respondemus 1) usurpatum quidem fuisse ius in his rebus tanquam sibi proprium a quibusdam imperatoribus, sed hos fuisse vel haereticos, vel ab haereticis deceptos, aut certe potestatis et libertatis ecclesiasticae ignaros: 2) Ecclesiam contra huiusmodi iurium suorum violationem constanter reclamasse. Ita Lucifer Calaritanus L. I. pro Athanasio ad Constantium Imperatorem. « Sed dicis isto in loco (Deuter. XVII, 9) Deo devotissimus Moyses quomodo Sacerdotum fecit mentionem, sic et iudicis. Proba te super nos factum iudicem, proba te ad hoc constitutum Imperatorem ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis, quomodo dicere poteris iudicare te posse de Episcopis? » Hosius Cordub. ad eundem Constantium (penes Athanasium Historia Arianorum n. 44) « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit; nobis ecclesiastica concedidit. » Athanasius ibid. n. 53. « Si illud Episcoporum decretum est, quid illud attinet ad Imperatorem? sin imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus qui vocantur episcopi? Quandonam a seculo res huiusmodi audita est? quandonam Ecclesiae decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac Synodi coactae sunt, multa prodire Ecclesiae decreta; sed nunquam Patres res huiusmodi Imperatori suasere, nunquam Imperator ecclesiastica curiose perquisivit. » Hilarius ad Constantium L. I. n. 1. « Provideat et decernat clementia tua omnes ubique iudices, quibus provinciarum administrationes creditae sunt, ad quos sola cura et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac praesument atque usurpent et putent se causas cognoscere clericorum. » Ambrosius contra Auxentium n. 35. « Tributum Caesaris est, non negatur: Ecclesia Dei est, Caesari utique non debet addici, quia ius Caesaris esse non potest Dei templum... Imperator intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est. » 3) Si quando boni imperatores auctoritate sua ecclesiasticis rebus consuluerunt; id ex consensu expresso vel tacito Ecclesiae, eiusve postulatione aut consilio fecerunt eo quod auctoritas temporalis quoad executionem quarumdam rerum necessaria esset, et Ecclesia ius haberet exigendi a Principibus subsidium suae